





FIORES
DOCTORUM

BR118

.H524

1851

c.1



1080044600

26

215

E # 4 C # 9 H



FLORES
DOCTORUM.



UNIVERSIDAD NACIONAL AUTÓNOMA DE MEXICO
CENTRO DE INVESTIGACIONES Y ESTADÍSTICAS

LIBRACION 8
MEXICO, D.F. 1954

37046

11043

FLORES DOCTORUM
SEU
PROMPTUARIUM MANUALE AUCTORITATUM
SANCTORUM ECCLESIE PATRUM
ALIORUMQUE DOCTORUM,
JUXTA MATERIARUM ORDINEM CONGESTUM.
OPUS SANE UTILISSIMUM
SACERDOTIBUS QUIBUSCUMQUE
SED, PRÆSERTIM
JUVENIBUS CLERICIS
VIAM PARANTIBUS
AD SACRAM VERBI DEI PRÆDICATIONEM
AUCTORE
THOMA HIBERNICO.

IN LUCEM PRODIT CURA ET OPERA

P. J. B. Sacerdotis O. M. S. P.

AC FACULTATE

EXMI. ET RMI. D. D. ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

TARRACONE

TYPIS FRANCISCI ARIS ET SOCIJ.
ANNO MDCCCLI.

110435

37546

FLORES DOCTORUM
 PROMPTUARIUM MANUALE ALLEGORICUM
 SACRIFICIUM ECCLESIAE PATRIAE
 ALIISQUE DOCTORIBUS
 IUSTA MATHEIANUM ORDINEM CONSTITUTUM
 OCTO SASI ET LXXXIIIUM
 SACRDOTIBUS QUESCUMQUE
 SED PRÆSENTI
 JOSEPHUS VERNICUS
 PLAN TARRACONENSIS
 AD SACRAM VERBI DEI PREDICATIONEM
 AUCTORE

THOMAS HIBERNICUS



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
 DEL ESTADO DE NUEVO LEON



TARRACONENSIS
 37548
 110432

ANIMARUM PASTORIBUS

SACRI VERBI DEI PRÆCONIBUS

ALIISQUE PRESBYTERIS

TYPOGRAPHUS TARRACONENSIS.

INTER tremenda sacerdotum, ac in primis animarum rectorum munia, præcipuum esse fateri oportet dispensationem verbi Dei. Evangelii nimirum prædicatione christiana religio per totum quam latè patet orbem fundata est, simulque eversa superstitionis et idololatriæ nefanda jura. Hinc totis viribus Vos incumbere debetis, ut ovibus quas Æternus Pastor Vestræ commisit, sollicitudini panem cælestis doctrinæ frangatis.

Ast ubi ad rite obeundum excelsum hocce ministerium melius quam in scriptis sanctorum Ecclesiæ Patrum invenire? Hi etenim utpote proximiores ipsis fontibus, nempe Apostolis verbi Dei præconibus, puriora sacri eloquii fluenta in libros suos et conciones, quas ut plurimum Homilias vocabant, inde derivarunt, quemadmodum poetæ canit

« PURIUS IN IP SO FONTE BIBUNTUR AQ UE. »

Haud igitur obliteranda vel contemnenda assidua tantorum virorum lectio, qui principes merito dicuntur sacræ eloquentiæ; nam si aliunde Vos, si ab istis ad profanos exulatis, non jam

immortalis animæ causam agetis, non pro æternitatis beatæ domo perorabitis, non quæ civibus religio, qui mores, quæ publica honestas servanda est docebitis, sed auribus blandiemini, satiabitur intellectum sed cor intactum relinquetis, loquimini splendida, sublimia, admirabilia sed spiritu vacua et quæ præter folia nihil fructus ostendunt; uno verbo, eritis «*æcs sonans*, ut loquitur apostolus, et *cymbalum tinniens*.»

Sed quisnam, dicet aliquis, immensa et prope infinita Patrum scripta, non modo in integrum legere, sed nec per summa capita et oscitanter eorum conceptus et effata colligere valebit?

Res est plane difficilis, imò impossibilis: sed non aliquando defuerunt, Deo sic in bonum utilitatemque Ecclesiæ disponente, viri illustres omnique laude digni qui, nec temporis angustia, nec otii defectu, nec remissa juvandi voluntate præpediti eo conatus suos et studium collimarunt ut ex omnibus quæ legebant succum et medullam suggerent, seu veluti manipulum contexerent lectissimorum florum, et libros quos *Florilegia*, *Polyanthea Sylva* adpellarunt summo studio ac infinito labore pòsteris componere aggredierentur.

Hujus generis est quem Vobis, spectatissimi DD. vovendum fidentissime nitimur. Hunc non solum ramusculum sed hortum pulcherrimis simul ac innumeris eloquentiæ floribus vernantem, ac frugiferis consitum arboribus appellare fas est. Quo enim ævo librum Thomæ Hibernici seu Palmerstonensis, Doctoris sorbonici, eximii Patrum scriptorum insectatoris, sapientes laudibus non affecerunt, encomiis non exornarunt, non maxime commendarunt, et concionatoribus præsertim valde utilem non conclamarunt? Cui *Flores Doctorum* ignoti,

vel qui eorum suavolentia non recreati? Hujus rei testimonium offerunt evidentissimum innumeræ propè editiones catholicæ et acatholicæ Parisiis, Lugduni, Placentiæ, Venetiis, Coloniae, et Vienne iterum atque iterum factæ; ita ut videatur neminem tunc potuisse sacram verbi Dei prædicationem arripere quin Hibernici librum velut optimam sacri ministerii tesseram secum afferret. Et quid mirum si Auctor in suo libro ut excellentissimi ingenii vir, cum jam sacræ solitudini vitam omnem dedisset, facultate liber et vacui temporis diligenter usus scripta Patrum nocturna versavit manu versavit diurna, et multo plura quam exigi poterat sapienti meditatione et accurata diligentia congressit?

Quæ cum ita sint, et in memoriam revocemus hac misera nostra tempestate nullum pene fructum ab concionibus legi, tum quia corda mortalium luto philosophici hujus indifferetissimi insordescunt, tum maximè quod vix à modernis prædicatoribus Scripturarum et Patrum testimonia citentur, quo fit ut sermones æstimentur magis ut verbum hominis quam Dei; librum hanc statuimus prælo moderno mandare non prius non auditis virorum piorum votis et consiliis, Vobisque dicare et offerre qui laboratis in vinea Domini sabaoth.

Parumne videbitur munus quia molis exiguæ? aut spernendum quasi hac nostra ætate delicatis auribus ingratum? Absit ut à vestra scientia et pietate talem sperem repultam. Vos siquidem non latet Patrum esse testimonia quæ in opella ista continentur, breviora quidem sed tamen selecta, sed succi nativi plena grandibusque ideis referta. His Ecclesiæ luminaribus aut pares aut meliores

unquam extitisse fatendum est: his ergo utimini et vestrorum ad populum concionum magna erit laus.

Summopere interim gratulandum iis quibus in corde est eorum lectione animum pascere, et suam ipsorum facundia nutrire: hæc enim cum illis familiaritas Vobis orationis lumina et majestatem largietur; quodque est multo majus spiritum illorum et sanctimoniam afflabit. Sicuti qui in sole ambulat etiamsi nihil minus quærat, exceptis perpetuo radiis coloratur; et qui officinas pigmentorum odorumve frequentat, ei etiam non sentienti adhæret suave nescio quid, et ipsum proximosque corroborat; ita qui sæpius ad cœlestes illos ac salutes Patrum effatus et sententias reddit paulatim eodem cogitandi dicendique modo imbuitur, similique spiritu et confirmatur ipse, et alius se audientibus eundem inhalat.

Nunc ad æconomiam operis deveniamus. Ipsa erit juxta editionem coloniensem anni 1616 in qua nil vel puritatis orthodoxiæ, vel correctionis typographiciæ desideratur. Post opus completum addemus nonnullos titulos diversarum materialium qui in Hibernico desunt ut opus evadat perfectum Prædicatoribus promptuarium. Indicem titularum adjiciemus: ac postremo utilissimum elenchum collocabimus homiliarum, orationum, concionum SS. Patrum in præcipuis anni diebus sive dominicis sive festivis qui ex prisca rituum sacrorum lege primæ aut secundæ classis dicuntur, expresso librorum, capitum et homiliarum numero.

Valete

VV. DD. RR.

ADDICTISSIMI ET HUMILLIMI,

Franciscus Aris et Socii.

ADMODUM REVERENDO, DOCTRINA VIRTUTEQUE

CUMULATISSIMO VIRO AC DOMINO **GUALTHERO XYLANDRO**,
LIBERALIUM ARTIUM ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI ET
PROFESORI, GYMNASII MONTANI APUD AGRIPINENS. RE-
GENTI, ÆDIS METROPOLITANÆ COLONIENSIS PRESBYTERO
CANONICO, DOMINO AC MECENATI SUO PLURIMUM COLENDO.

Inter cæteros, admodum Reverende, doctrina virtuteque cumulatissime Domine ac Mæcenas, qui de re tum literaria, tum Christiana præclare meriti sunt, non postremas tenere videntur hii, qui ingenti studio florilegia, polyantheas, sententiarum, exemplorumve farragines collegerunt, huc maturo delectu ex optimis quibusque optima congesserunt, et magno communis boni amore ad posteritatem transmiserunt. Multa boni oratores, Philosophi, sancti Patres, ad vitam honeste et pie instituendam et commentati sunt, et post se reliquerunt; sed pauci ea multa legere; pauciores memoria retinere; paucissimi quæ meliora, et ad institutum quodque accomodatiora deligere possunt. Omnibus his medentur, qui ubi improbo labore omnia legerunt, et excusserunt, maturo delectu selectiora seligunt, et in locos communes conjiciunt. Atque ego ut horum nulli laudem suam derogo; ita Thomam Hibernicum maxime probari animadverto, quod summo et studio et judicio, quæ non modo ad vitam pie et Christiane instituendam; sed et ad orthodoxam avitam religionem confirmandam faciunt, congesserit, et ex sanctissimorum Patrum monumentis,

Floriveris ut apes in saltibus omnia libant,

Omnia sic itidem decerpserit aurea dicta.

Animadvertere hoc ante me non modo qui eodem mecum in religione sensu fuere: sed et hostes nostræ religionis, itaque ut illi non minore religionis commodo, quam amore hunc librum et diligenter et fideliter jam olim cudere, et iterum ac sæpius recudere: sic hi suo illum more orbi obruserunt; suo, inquam,

more mutilum, depravatum, adulterinis adjectionibus oneratum, talem omnino, qualis ex Calvinistarum officina prodire potuit; magis mutatum, quam Hector ille Virgilianus,

*Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, etc.*

—erat mutatus ab illo

Hectore, qui redit exuvias indutus Achillei,

ut jam non Thomam Hybernicum, sed Calvini spiritum; non flores, sed venena agnosceres. Quo id fine fecerint, nemo tam naris obesæ est homo, qui non advertat: sanè non alio, quam ut nova sua commenta antiquorum Patrum nomine venditarent, et vino minime vendibili speciosam hederam appenderent. Ac ne injuriam bonis illis viris ac fidis Typographis facere videar, ex multis ac propè infinitis unum vel alterum exemplum adducam, ut ex his, quomodo reliqua affecta sint innotescat. Videantur modo tituli, *Antichristus, Confessio, Ecclesia, Eucharistia, Maria*. Bone Deus quanta in illis metamorphosis? quanta mutatio? In tit. *Antichristus* ea, quæ docent Antichristum tribus duntaxat annis et sex mensibus sæviturum, et sub finem quidem mundi, et non nisi ante defectionem et expletionem Romani Imperii, templum Hierosolymitanum reparaturum, et omnes veteris legis cærimonias restauraturum, aliaque ex quibus liquidum evadit Romanum Pontificem verum veræ Ecclesiæ caput, non esse Antichristum, omiserunt; et alia in locum substituerunt. In titulo, *Confessio*, quæ Confessionem peccatorum sacerdoti faciendam omnino evincunt, expunxerunt; quæ de confessione Deo facienda agunt, assueverunt; quasi illud non sit necessarium, cum vera et concors omnium Patrum sententia utrumque conjungat. In tit. *Ecclesia* (ut non dicam de reliquis) ubi sunt aurea illa Chrysologi in favorem Romanæ Ecclesiæ verba; Quod stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radii, quod fonti rivuli: hoc Apostolicæ sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas ubique terrarum religio Christiana fundavit? In tit. *Eucharistia*, nihil intactum prope, immutatumque reliquerunt: In tit. *Maria*, præcipua ejus encomia, et quæ eam tanquam humani generis in cælo post Christum patronam et advocatam invocandam esse docent, quæ noster Hybernicus studio Virginis Matris studiosissime collegit,

non attigerunt: alia quædam, quorum Hybernicus non meminerat, ex Epiphanio, quæ sanctus ille et eruditus pater disseruit contra Collyridianos, B. Virginem adorantes, sacrificiis prosequentes (qui honor soli Deo debitus) ac si contra orthodoxam B. Virginis invocationem facerent, diligenter atrexerunt. O fidos interpretes! quid est esse plagiarium, si non hoc est? Hybernici nomen præfixerunt; Hybernicum in præfatione commendaverunt? in decursu, quæ Hybernicus collegit, suo arbitrato trunearunt, mutilarunt, loco moverunt; sua ipsorum substituerunt, ut sub Hybernicum pii et Catholici doctoris nomine Calvinianum virus propagarent, et dum Catholicus lector Catholicos flores carpere sperat, hæreseos venenum imbiberet. Quis fidem illis in religione habeat, qui in talibus tam perfide agunt? At inquiet aliquis, Patrum illi sententias non suas ediderunt. Primum; non hoc ago, istud quero, an illas Patrum sententias, quas Hybernicus noster collegit; an vero quas ipsi ad suum palatum collegerunt? Si non quas Hybernicus, sed quas ipsi; cur non suum, idest Calvinisticum, quam Hybernici nomen potius præfixerunt? Nimirum quod non poterat sub pelle leonina, hoc sub vulpina tentandum erat, et incauto lectori falso titulo fucus faciendus. Deinde, non tam sententias Patrum, quam verba, retulerunt; et ea duntaxat verba, quæ ipsorum commentis in speciem favere viderentur; quæ vero solide ista oppugnant, verissimeque expugnant, eorum vix meminere. Imitati sunt parentem suum Archicalvinistam illum, qui principem et auctorem nostræ religionis aggressus; Si filius, inquit. Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim; Quia Angelis suis mandavit de te, &c. Verba ille S. Prophetæ adducebat, non sententiam. Et illi verba forte Patrum (et utinam sincere verba,) non sententias adducunt. An autem verba illos Patrum juvent? Non magis quam Sathanam verba Prophetæ. Non magis Patrum verba fidem persuadent Calvinisticam; quam Prophetæ verba à Sathana allata Christo persuasere ruinam. Sed hæc latius persequi non est mei instituti.

Cum itaque advertissem, Reverende admodum Domine, versutiam illorum hominum et colum malum; dolui sanè vehementer, pro eo ac debui plagiariis illis tantum licere, et artem Typographicam ad rei Christianæ non minus, quam litterariæ amplificationem à

Deo Opt. maxim. hominibus concessam, ad perniciem converti. Quare zelo, ut spero, pio motus hos flores pristinae integritati restitutos sub prælum mittere, et Reverentiæ tuæ inscriptos nomini in lucem dare cœpi. Nam cum quærendus mihi patronus aliquis hujus operis esset, qui illud contra perfidorum illorum insultus tueri, et lectori veritatis amanti illorum perfidia merito suspectum suo nomine, seu nûmine gratius, et comendatius reddere posset; subito T. mihi sese obtulit R. cujus ea sunt in me merita, ut præterire eam non debuerim; ea pietas ac eruditio ut vel solo nomine seu fulmine adversarios prosternere possit. Patere igitur admodum Reverende Domine, hunc meum qualemcumque laborem luce clarissimi tui nominis illustratum divulgari, ut et meæ in T. R. observantiæ perpetuus sit index ac testis, et hoc quasi scuto præmunitus, publicum fidentius gratiusque aspiat. Vale. Colonia ipso die Constantini 1606.—Reverend. D. V. addictissimus cliens.—Bernardus Gualtheri.

TYPOGRAPHUS CANDIDO LECTORI.

Anthologiam habes á nobis, candide Lector, vel ut vere dicam, non modo Theologiæ, sed etiam totius Philosophiæ thesaurum: ex quo tibi est integrum, cultum ingenii, morum elegantiam, et vitæ integritatem ac dignitatem colligere et eruere. Breve quidem opus, sed tamen tale, de quo tibi possis idem polliceri, quod Homerus jactat de Menelao;

PAUCA QUIDEM SED VALDÉ ARGUTÉ.

Hoc, quantulumcumque est, quod certe maximum est ex lectissimis Auctoribus collegit sedulo Thomas Hybernicus, vir facundia et eruditione clarus: idipsum in capita, seu comunes locos constrinxit, ordine Alphabeticò et numerariis elementis in fronte cujusque gnómæ præfixis usus: ut vel obtuitu quoque primo Philologum alioqui laborantem et sæpe vagantem levaret. Quid autem nos hac recenti editione præstiterimus, lectio faciet tibi fidem, non nostra vel ambitiosa vel elaborata commentatio. Innumeri certe loci sunt et castigati et restituti. Id tantum monendus es sine ulla sententiarum, quas auctor collegit immutatione, sententiolas aliquas esse postea adjectas; quas, ne dolo malo, (ut in illa adulterina editione contigit, cujus in præfatione meminimus) id factum suspiceris asterisco notavimus. Bene vale.

AUCTORES, EX QUIBUS HI FLORES
SENTENTIEVE EXCERPTÆ SUNT.

HEBÆI VEL EGIPTH.

RABBI MOYSES ÆGYPTIUS.

ARABES.

AVICENNA.

CHRISTIANI GRECI THEOLOGI

DIONYTIUS AREOPAGITA	CHRYSOStOMUS.
BASILIUS MAGNUS.	DAMASCENUS.
ORIGENES ADAMANTIUS.	GREGORIUS NAZIANZENSIS

LATINI CHRISTIANI ET THEOLOGI.

HIERONYMUS.	PROSPER.
AUGUSTINUS.	AURELIUS.
AMBROSIUS.	BOETIUS.
GREGORIUS MAGNUS.	RICHARDUS.
CYPRIANUS.	TERTULLIANUS.
HYLARIUS.	HUGO VICTORINUS.
ISIDORUS.	ALANUS DE RUPE.
MAXIMUS.	ALCUINUS.
JOANNES CASSIANUS.	PETRUS BLESENSIS.
FULGENTIUS.	PETRUS CHRYSOLOGUS.
BERNARDUS.	EFFRENIUS DIACONUS.
CASSIODORUS.	AYMO.
RABANUS.	METHODUS IN PRÆP- TIS.
LEO MAGNUS.	VALERIUS EPISCOPUS.
BEDA PRESBYTER.	

NESTOR ABBAS.
INNOCENTIUS.
REMIGIUS.

LACTANTIUS.
CÆSARIUS.
PETRUS DAMIANUS.

AUCTORES HUMANITATIS GRÆCI ET LATINI.

DEMOSTHENES.
PLUTARCHUS.
STOBEUS.
PLINIUS.
VAL. MAXIMUS.
M. T. CICERO.

SENECA PHILOSOPHUS.
SYDONIUS.
VEGETIUS DE RE MILI-
TARI.
AULUS GELLIUS, QUAM
IPSE GELLIUM VOCAT.



ABSTINENTIA.

1. Bonum est in cibo, cum gratiarum actione percipere quicquid Deus edendum præcepit. Abstineri autem ab aliquibus non quasi malis, sed quasi non necessariis, non est malum. *Aug. de difin. rectæ fidei.*

2. Non interest omnino scilicet ad veritatem, quid alimenterum vel quantum quis accipiat: dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus vivit, et personæ suæ, et pro valetudinis suæ necessitate, sed quanta facilitate et serenitate animi his valeat, quom oportet, vel necesse est carere. *Aug. in li. de quæsti. evang.*

3. Quam suave mihi subito factum est, á suavitatibus nugarum abstinere, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium est. Ejiciebas enim eas á me: tu verò summa suavitas intrabas pro eis, omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini, omni luce clarior, et omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. *Aug. 9 confessionum.*

4. Ulantur divites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter non posse. Melius enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate: tu quare extolleris de infirmitate? Ulere cibis electis, pretiosis, quia sic consuevisti, aliter non potes: quia si consuetudinem mutas, ægrotas: conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus superflua. Ulere pretiosis, da pauperibus vilia. *Aug. de verb. domini c. 4. tractans illud. Vermis divitiarum superflua.*

5. Qui sic se á carnibus temperant, ut alias escas difficilius præparationis et pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed imitari luxuriam. *Aug. in ser. de dominica. 4. in adventu.*

6. Abstinentia tua atque jejunium tuum ed magis Deo grata sunt, quò cum moribus sanctis offeruntur: ut quæ in aliis sunt umbracula vitiorum, in te sint